

Q.K. 432, 35.

X 231 3060




COMMENTATIO
DE
CALENDIS
ROMANORVM
SECVNDVM ORDINEM MENSIVM
ILLVSTRATA

A
M. CAROLO HENRICO GERSTAEKER,
FRANCISCANEI MISENENSIS COLLEGA IV.

∞ Is CCLX

MISENAE, LITTERIS SCHVLZIANIS.



COMMENTATIO
DE
CALENDIS
ROMANORVM
SECUNDVM ORDINEM MENSIVM

M. CAROLO FRIDRICO CRISTIANER

MDCCCLXX

LEIPZIGI LITTERIS SCHULMANNIIS



MEMOIR VIRIS
SVMME VENERABILI ATQVE DOCTISSIMO
D O M I N O
CHRISTOPHORO HAYMANNO,
DOCTORI PHILOSOPHIAE CELEBERRIMO,
DIOECESEOS MISENENSIS ANTISTITI SACRORVM
MERITISSIMO, ET SCHOLAE INSPECTORI
GRAVISSIMO,
ATQVE
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, IVRISQVE
CONSVLTISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS
D O M I N I S
C O N S V L I B V S,
P R A E T O R I B V S,
E T
S E N A T O R I B V S
S I N G V L I S,
R E I P V B L I C A E M I S E N E N S I S
M A E C E N A T I B V S O P T I M I S,
P A T R O N I S E T I N S P E C T O R I B V S F R A N C I S C A N E I
H O N O R A T I S S I M I S

HANC COMMENTATIONEM

PIETATIS DEBITAE SIGNVM

D. D. D.

CHRISTOPHORO HAYMANNO

DOCTORI PHILOSOPHIAE CELEBRISSIMO

DIOECESOS MISENENSIS ANTIQVITATI SACRARVM

MERITISSIMO, ET SCHOLAE INSPECTORI

GRAVISSIMO

ATQVE

PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, VIRISQVE

CONSULTISSIMIS AC PRAUDENTISSIMIS

DOMINIS

M. CAROLVS HENRICVS GERSTAEKER,

FRANCISCANEI MISENENSIS

COLLEGA IV.

SENIORIBVS

SINGVLIS

REPVBLICAE MISENENSIS

MAECENATIBVS OPTIMIS

PATRONS ET INSPECTORIBVS FRANCISCANEI

HONORATISSIMIS



DE
CALENDIS ROMANORVM
SECVNDVM ORDINEM MENSIVM.

§. I.

Et si Romano imperio, quod, teste Evtropio, (a) a Romulo originem trahit ab initio nihil omnino fuit ignobilius adeo tamen illud se postea temporis super alia regna extulit, vt nullum fere ei comparari potuerit. Martis quidem Romae conditor dicebatur filius (quia DEVS auctor culpae honestior et quoniam omnes a diis originem deducere volebant) sed ab eo erecta ciuitas initio latronibus tantum constabat. Eius autem prudentia et sapientissimis consiliis Roma, vt modo vrbis fundamentum in monte Palatino inaugurato posuerat, eamque muro cinxerat, aliam obtinuit formam. Nam statim de forma regiminis ad populum retulit, quo facto omnium consensu regnum illi delatum est. Rex con-

A 3

(a) Cf. Evtrop. cap. I.

constitutus vt ciues augetet, (b) asyllum constituit; vt habeant ciues vxores: inuitauit virgines Sabinorum ad spectaculum, vbi vnus quisque Romanorum vnam sibi rapuit. Deinde senatum constituit, populum in tribus et curias diuisit, leges dedit salutare, et omni, qua fieri potuit, ratione nauauit operam magnitudini et saluti Romanorum amplificandae.

§. II.

Inter alia negotia non minus notatu et laudatu dignum est, quod ratione temporis institueret, vt singuli menses tribus absoluerentur partibus, Calendis nimirum (c) Nonis et Idibus. Calendas vocabant primum cuiusque mensis diem, quae inde deriuantur a graeco verbo *καλέειν* seu ab antiquo verbo calare, quod nempe calendis conuocabatur populus eidemque indicabatur, qui hoc mense sint futuri dies festi, seu, vt alii volunt, quia Romani menses constituebant secundum lunae cursum. Luna enim noua adspecta, pontifex minor clamabat: te calo luno (d) (Luna) nouella, quippe cui sacrae erant Calendae. Cujus notionis rationem etiam Varro (e) luculenter exponit.

§. III.

Scilicet antequam populus Romanus per Cn. Flauium scribam, inuitis quidem patribus, cognitis habebat dies fastos (f) pontificis minoris erat, vt nouam lunam pri-

(b) Vid. Nieupoort. cap. I.

(c) de Calendis, Nonis, et Id. vid. Rosin. pag. 593. Cautel. 351.

(d) Quare luno nouella dicta fuerit vid. Rosin. p. 281.

(e) de lingua latina lib. V. c. 4.

(f) de diebus fastis vid. Rosin. p. 535. His diebus fastis dies nefasti, teste Ouidio, Fast. l. I. v. 47. opponuntur.

primus obseruaret, obseruatamque regi sacrificulo (g) nunciaret, et postea, sacrificio a rege et pontifice minori peracto, pontifex ille, calata in Capitolium plebe, iuxta curiam (h) calabram declamabat, quot dies a calendis ad nonas super essent quintanas, quinquies dicto verbo, *καλω*, (calo) septimanas, repetito septies significabat. Quoniam autem hic dies primus erat illorum, qui calabantur, placuit antiquis calendarum nomine illum insignire. Ceterum, quod etiam veteres Latini hac voce vsi fuerint, nisi latinae linguae plane expertus nemo ignorat.

§. IV.

Calendae omnes in Iunonis erant potestate, quod ex Ouidiano (i) versu nouimus.

Vendicat Ausoniae Iunonis cura calendas.

Cum enim antiqui initium mensis ab exortu Lunae feruarent, iure suo Iunoni calendas addixerunt, Lunam et Iunonem eandem arbitrantes. Et tam sollempni pompa, tamque insigni adplausu celebrabatur primus cuiuscumque mensis dies, vt hoc, prae aliis diebus, totius quasi mensis omnia Diis Deabusque sacra facerent, iisdem templa dedicarent, hostias immolarent et id genus alia.

§. V.

Minus igitur inutilem a nobis tractari laborem existimamus, si singulorum mensium calendas, Ouidio duce, bre-

(g) de rege sacrificulo Rosin. p. 500. Vocatur etiam rex sacrificus apud Liu. l. XI. c. 42. et rex sacerorum apud Cic. pro domo. c. 14.

(h) de calabra commemorat Ryequ. de Capitol. Rom. c. 44. p. 424. a calatione quam pontifex minor facere solebat, dicta fuit calabra, ipsi demum curiae nomen adhaesit.

(i) Fast. lib. I. 55.

breuibus perstringamus, earumque significationem luculentius eruere studeamus.

§. VI.

Annus Romulus decem mensibus, seu trecentis et quatuor diebus absoluebat, (k) quorum primus erat Martius. (l) Ita dictum fuisse legimus a Marte, quod Romuli pater fuerit, uti Varro, (m) Macrobius (n) et Ovidius (o) existimauerunt. Quid ex eodem Ouidio intelligimus Martium nomen mensis, etiam ante urbem conditam, Italiae populus habuisse, quamuis non apud omnes fuerit anni primus mensis; quumquidem alii eum tertio, alii quarto, alii sexto, alii decimo loco posuerint. Posthaec Numa Pompilius Romuli mensibus duo (p) adiecit, Ianuarium et Februarium, ut duodecim ab hoc tempore fuerint. (q) Primum adpellabant Ianuarium et quare ab hoc mense annum inceperint Romani, Rosinus (r) ex Plutarcho pluribus exponit.

§. VII.

Itaque nostrum omnino erit, ut secundum ordinem mensium, a Romulo, seu potius a Pompilio praescriptum, agamus, et calendas Ianuarias primo breuibus perstringamus, quae propter anni initium post Numae tempora
omni-

- (k) Cf. Macrobius Saturnal. lib. I. c. 12.
- (l) Nieupoort. p. 111. 113.
- (m) l. 5. de lat. ling. Martius, inquit, a Marte dicitur.
- (n) l. 2. Saturn. c. 12. ait Romulus primum anni mensem genitori suo dedicauit.
- (o) Fast. l. 39. Martis erat primus mensis Venerisque secundus,
Haec generis princeps ipsius ille pater.
- (p) cf. Liu. lib. I.
- (q) Cautel. p. 349. seq.
- (r) p. 553.



omnium fuerunt celeberrimae. Neminem nobis vitio
 vertere posse arbitramur, si cuiusque mensis deno-
 minationem et alia quaedam memoratu digna simul
 indicamus. Ianuarius itaque mensis, qui annum aperit,
 nomen trahit a Iano bifronte, (s) qui dictus est ab
 eundo quasi Eanus, quia tempus semper it, vel proce-
 dit, (t) et qui foribus, quae ab eo ianuae dicuntur prae-
 est. Illius Calendis consulatum inibant consules et, fre-
 quente populi corona stipati, Capitolium ascendebant et
 Ioui O. M. iniuges iuuenos mactantes (u) prae foribus
 templi odorem afferentia multa cremabant. Quilibet,
 quaecumque erat, opus suum hoc die inchoabat, puta-
 bant enim veteres omnia in esse principiis, ideoque hoc
 faciebant, vt, si primo anni die industrii, et solertes es-
 sent de totius anni diligentia augurarentur. (v) Eodem
 die festum Iani celebrabant (x) sacra illi ferebant ex cibo
 et mola, quae farina horna et sale miscebatur, quin et-
 iam ex thure et mero, quod Ouidius (y) nos docet.
 Praeter ea, quum, Seruio teste, apud Romanos nihil
 tam solemne fuerit, quam dies consecrationis, siue de-
 dicationis: hoc etiam eximiam celebritatem adfert Ca-
 lendis Ianuariis, quod iisdem templa Aesculapii (z) et Io-
 uis in insula Tyberina dedicata sint.

§ VIII.

(s) Plutarch. parallel. Tom. I. p. 72. lit. F. Tom. II. p. 269. A. et 274. D.

(t) Nieupoort. p. 147.

(u) Ouid. Fast. l. 75. Cernis, odoratis ut luceat ignibus aether;
 Et sonet accensis spica Cilissa focus?

(v) Ouid. Fast. l. 165. Post ea mirabar, cur non sine litibus esset
 Prima dies - - -

(x) de Iano vid. Rosin. 207. seq. Ouid. Fast. l. 59. seq. Nieupoort. p. 209. sq.

(y) Ouid. Fast. l. 172. Iane tibi primum thura merumque fero.

(z) Rosin. p. 367.

B

§. VIII.

Notatu etiam digna videntur, tria officiorum genera, quibus Romani sub noui anni auspiciis erant omnes ac singuli occupati. Solebant enim primo hoc die artis, quam profitebantur, quoddam exhibere specimen omnis boni causa, ne scilicet totus annus careat auspiciis. Quidam ad *evφnulas* vota, precesque sese conferebant, quod Ouidius, Plinius, aliique pluribus commemorant. Quidam denique strenas offerebant, ita, vt Grammaticis placet, dictas, a numero, quasi ternas quod alterum tertiumque sic esset venturum. (a) Munera nimirum sibi inuicem mittebant, caricas, corioides, mella et id genus alia, vt dulces dies a rebus dulcibus auspicarentur anni. A Tatio rege primum morem illum fuisse introductum, refert Symmachus, qui verbenas felicis arboris ex streniae (b) loco noui anni auspiciis accepit, significans, strenuis viris istas debere. Datae sunt strenae etiam absenti Augusto Caesari in Capitolio, quod Suetonius (c) de Caligula commemorat, dicens: edixit et strenas incunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo aedium Calend. Ianuar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat.

§. IX.

Progrediamur secundum ordinem a Numa institutum et a Iulio Caesare confirmatum (d) ad Februarium. Hoc mense, qui extremus olim anni fuit, Romani lustr-

(a) Rycqu. pag. 3.

(b) Nieupoort. p. 247. strenuam a strenuitate dictam existimat,

(c) in vita Caligulae cap. XII.

(d) cf. Macrob. Saturnal. l. 14. et Suetonius Aug. 31.

strationibus utebantur (e) Februare enim, ut refert Nieupoort (f) lingua Sabinorum significat purgare, expiare seu lustrare, (Graecis λύειν). Ut urbs lustrabatur, cum magna calamitas accidisset vel ingens scelus esset admissum, sacrificio, quod amburbium dicebatur: sic agri sacrificio ambarvali (g) sic populus suouetaurilibus, ut Nieupoort pluribus exponit. Calendis Februariis ipsis sollemne dedicationis templi Iunonis sospitae festum celebrabatur. (h) Obiter adnotamus, quod Iuno Sospita dicta fuerit item apud antiquos Sospes a graeco σῶζω et imprimis Lanuuii culta sit magno cultu. (i) Tandem sacra fiebant in aede Vestae (k) Iouis Tonantis (l) et in Capitolio Ioui de bidente; Dianae sacrificabant ἐλαφιβολία (m) nuncupata et ut Plutarchus enarrat (n) etiam defunctis parentabant.

§. X.

Sequitur Martius, a Marte dictus, olim (o) primus anni mensis a Romulo, homine bellicoso, qui Martis

B 2 filius

(e) vid. Plutarch. Parallel. p. 268.

(f) Nieupoort. p. 207.

(g) vid. Virgil. Eclog. V. v. 75.

(h) Rosin. p. 249. seq. Ouid. Fast. II. 55.

Principio mensis Phrygiae contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta nouis.

(i) Rosin. p. 250.

(k) Rosin. l. 2. c. 12. Nieupoort. p. 187. it. 182.

(l) Rosin. l. 2. c. 5. Nieupoort p. 182. seq. Ouid.

Ad penetrale Numae Capitoliumque Tonantem
Inque Iouis summi caeditur arce bidens.

(m) Rosin. p. 272. seq.

(n) pag. 265.

(o) Ideoque teste Ouidio. Fastor. III. 143. ignis nouus Vestae incendebatur ut incipiente anno studium alendi ignis nouati renouaretur, quod item indicat. Macrob. Saturnal. l. 12. Nieupoort. p. 188.

filii putabatur, ita constitutus. Hic vero nunc ordine tertius est, quia Numa pacis studiosus, ciues a re bellica ad agriculturam adducere volebat, Ianuario primum locum adsignauit, cuius mutationis rationem adfert Plutarchus. (p) Illius Calendis, tam in arce regia, curiis, et flaminum palatiis, quam in fascibus consularibus laureas veteres nouis mutabant. (q) Matronalia celebrabant, (r) et Saliorum (s) festum incipiebant, qui ancilia (t) circumferentes Mamurium (u) canebant, nec nubere bonum, quousque condantur credebant. (v) Neque praetereundum est, quod non licuerit hoc die Flaminicam Dialectem sese pectere atque ornare (x) et, quod Iunonis Lucinae

(p) p. 268. vit. parall.

(q) Ouid. Fast. III. 137. Laurea Flaminibus, quae toto perstitit anno,
Tollitur: et frondes sunt in honore nouae.

(r) Matronalia agebantur in memoriam diremtia matronis inter Romanos et Sabinos belli. Ouid. Fast. III. 170. seq.

Dic mihi, Matronae cur tua festa colant?

Munera mittebant feminae, etiam seruis praebant epulum, ut viri saturnalibus. cf. Rosin. p. 567. Solin. C. I. Tibull. l. 3. VI. v. I. seq. Martial. l. X. ep. 24. v. 3. seq.

(s) A saltata fuerunt dicti Rosin. p. 589. Nieupoort. p. 276. Horat. I. 36. 12. O. IV. I. 12. Virgil. Aen. VIII. 285.

(t) Ancilia erant scuta quaedam sacra, atque ita dicebantur a forma, quod undique ansica essent absque omni angulo. vid. Serv. ad Virgil. Aen. VIII. 3.

(u) Plutarchus in Numa: Veturium Mamurium, vnum e summis opificibus usque adeo similitudinem effinxisse, ut neque Numa iam ipse dignosceret. Is premii loco petiit, ut suum nomen Salii inter carmina canerent Ouid. Fast. III. 259.

Quis mihi nunc dicat, quare coelestia Martis

Arma ferant Sali, Mamuriumque canunt?

(v) Ouid. Fast. III. 393. Nubere, si qua voles, quamuis properabitis ambo,
Differ!

(x) Flaminica Dialis erat vxor flaminis Dialis, de quo Nieupoort. p. 264. Ouid. Fast. III. 397.

His etiam coniux capitis discincta Dialis

Lucibus impexas debet habere comas.

cinae (y) festum eodem erat, et Munychia sacra Dianae (z) quae Dea Munychia adpellabatur, facta fuerint.

§. XI.

Mensis ordine quartus est Aprilis, Graecis auspiciousissimus, qui Veneri sacer fuit. (a) Nomen hunc accepisse ferunt aut a graeco verbo *ἀφρός*, vnde *Αφροδίτης*, seu Venus, aut a verbo aperio, quod vere plantarum germina aperiantur. Huius Calendis, vti Plutarchus refert (b) Veneri (c) sacra fiebant. Floribus et myrto mulieres quoque fertis redimitae lauabantur. Item Fortunae virili (d) sacrificabatur et Apollini pariter atque Dianae Targelia sacra peragebantur, et Venus denique Verticordia placabatur, vt animos ab illicito amore auerteret. (e)

§. XII.

De mense quinto, seu Calendis Maiis nihil certi constat praeter id, quod Laribus Praestitibus ara a curibus Sabinis consecrata (f) et Bonae Deae (g) templum dedicatum fuerit. A Maia, Vulcani vxore, seu a seniorum, (h) qui sunt maiores, aetate, teste Plutarcho (i) nomen habet, et Mercurius eo mense colebatur vt idem refert l. c.

B 3

hoc

(y) de Iunone Rosin. p. 251. seq.

(z) de Diana Rosin. p. 453.

(a) vid. Horat. lib. IV. Od. XV. v. 15.

(b) in Numa cap. XIII.

(c) de Venere Rosin. pag. 279.

(d) Rosin. pag. 546.

(e) Item pag. 279.

(f) Ouid. Fast. V. 129. Praestitibus Maiiae Laribus videre Calendae Aram constitui, signaque parua Deum.

(g) Macrob. Saturnal. l. c. 12. de Bona Dea etiam Rosin. p. 396. exponit.

(h) Hoc testatur Ouidius Fast. l. 39. seq. vbi plures denominationum rationes affert.

(i) pag. 285.

hoc mense nec mulieres ducebantur, cuius rationem et alia memoratu digna ibi quoque enarrat.

§. XIII.

A Iunio mense annum incipiebant Athenienses, ut est in Calendario. (k) Etsi illius Calendis nihil notatu dignum fuisse actum perhibet Rosinus (l) tamen, ex Macrobio (m) perspicui potest, quod hoc die Iunius Brutus, qui primus consul Romae creatus fuit, et a quo Iunius mensis nomen traxisse fertur, pulso Tarquinio sacrum Carnae Deae (n) in Caelio monte voti reus fecerit. Ut mentionem facit Plutarchus Iunoni sacer fuit, et nomen, ut Maius a seniorum, qui sunt maiores, ita Iunius a minorum, qui sunt iuniores, aetate, ducit. Hunc in mentem differrebant Romani nuptias. Magis enim conuenit nuptiis iuuentus ut censet Euripides dicens;

*αἰὲν ἢ τὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν εἶναι
ἢ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρονσι ἀχθεταί,*

Tandem in Calendario adnotatur, quod iisdem Calendis Iunonis Monetae (o) templi dedicatio et Martis sacra extra portam Capenam (p) fuerint.

§. XIV.

(k) Nieupoort. append. 3.

(l) Nieupoort. pag. 616.

(m) Macrob. Saturnal. L. I. c. 12.

(n) de Carna Dea Ouid. lib. VI, Faistor. 101.

Prima dies tibi, Carna, datur. Dea cardinis haec est.

Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Macrob. Saturnal. XII. ait Carnam Deam vitalibus humanis praesse credunt, et ab ea petitur, ut iccinora et corda, quaeque sunt intrinsecus viscera, salua conferuet.

(o) Rosinus pag. 251. et 616. haec sacra ex Benedicti Ariae calendario proponit.

(p) Rosin. pag. 42. seq.

§. XIV.

De Calendis Iuliis nihil fere referunt antiquitates Romanae. Non tamen silentio omittendum, quod in illis migrationes ex aedibus in alienas factae sint. Id quod ex Suetonio, (q) Cicerone et Martiale colligunt viri docti. Mensis ipse qui olim quintilis, quia ordine antiquo quintus fuit, nominatus est, in Iulii Caesaris honorem, qui Pompeium vicerat Iulius nomen accepit.

§. XV.

Neque adeo celebres fuerunt calendae Sextiles ita vocatae, quia ordine sextus fuit mensis Augustus, Augusti vero nomen nactus est ab Octavio Augusto, qui omnium Romanorum gaudebat amore et praesertim hoc mense multis ornatus erat victoriis.

§. XVI.

De Septembribus, Octobribus et Nouembribus Calendis prorsus silent calendaria. Nihil, opinor, iis agi potuit, quoniam Romani nullius ominis existimant et caeli temperies plerumque sub his mensibus frigescere incipit. Nomina retinent antiqua September, quia fuit ordine septimus, October quia octavus, Nouember quia fuit nonus. (r)

§. XVII.

Mensium ultimus, secundum antiquum ordinem fuit December, cuius Calendis, teste Dionysio (s) primum per-

(q) vid. Bergaldi commentar. in Suet. Tiber. c. 35. Rosin. p. 435. Plur. Tom. I. p. 72. lit. D.

(r) cf. Plutarch. vit. parall. I. 72.

(s) Dionys. Halicarnassensis lib. VIII. Valer. Max. I. I. c. 8. Templum huic Fortunae, constitutum est in memoriam liberatae urbis ab

peracta sunt sacra Fortunae Muliebris, quod postea inde translatum est in II. Non. Quinctil. Saturno, fuit mensis hic sacer, quem in manibus non superis Diis censebant; Hoc mense Romani mortuis etiam iusta persoluebant, cuius rationem adfert Plutarchus. (t)


* * *

His paucis FAVTORES AETERNVM DEVENERANDI quae mea fuerit sententia facile perspicietis nec istud meum studium in malam partem accipietis. Nihil ardentius opto quam vt summum numen Vos, Vestrosque omnes per singulos menses conseruet saluos fortunatos atque incolumes. Quo maiores fuerunt belli calamitates Vobis iam per quatuor annos ferendae eo magis summum omnium rerum conseruatorem demisse imploro, vt Vobis tranquillitatem largiatur animi et Vos breui pace exoptatissima recreet. Quam iucundus ille nobis omnibus erit mensis, quo restauratae pacis dulcissimis fructibus primum gaudere licebit. Quam laeti tunc DEO gratias agemus submississimas, quantam et nostra schola inde capiet ex Vestra beneuolentia vtilitatem. Interea me VOBIS MAECENATES OPTIMI obseruantissime commendo et quoad viuam omni pietatis cultu Vos venerabor et viuam fidelis praeceptor.

ab obsidione C. Marci Coriolani, intercessione Veturiae et Volumpinae. Pluribus vid. in Plut. vita Coriolani.

(t) vit. pag. 272.





G.K. 432, 35.

X 231 3060

IIc
1505

COMMENTATIO
DE
CALENDIS
ROMANORVM

SECVNDVM ORDINEM MENSIVM
ILLVSTRATA

A
M. CAROLO HENRICO GERSTAEKER,
FRANCISCANEI MISENENSIS COLLEGA IV.

∞ Is CCLX

MISENAE, LITTERIS SCHVLZIANIS.

